

A V S T R I A

AVSTRIAM sub nomine Pannoniæ superioris his verbis describit Georgius Ritheimerus, in suo de situ Orbis terrarum compendio: Pannonia superior ad Solis ortum Leythe fluuio iungitur. Ptolemæus huic Rabonem ab Ortu terminum statuit: Onaso fluuio, & Norico ad Occasum. Sunt, qui Cætio monte ab eo cardine finiunt, Teium fluuium & Morauiam à Septentrione: nam eo vsque hodie protenditur. Ab ea parte, qua decurrit Sol, Montana Styriæ, gleba vber & fertilis omni genere frugum, & quæ minimo impendio colitur. Vili etiam & strigoso equo agricola in eo tractu, qui campus Transdanubianus siue Marchianus dicitur, vbi olim Chetuari & Parmecampi fuerunt, terram arat. Marga, citra quam agri in Bauaria infœcundi, & macri sunt, quid sit, Austriacis incognitum est. Crocum ita generosum gignit, cum quo nullum aliud de bonitate certare potest. Vinum naturæ amicum. Vrbes & antiquæ, & nobiles multæ; maximè tamen insignes, Styra, Vadenhoffum, Melicum, Castellum, antiquitus Claudionum; Cremsium, Cetro castellum, hodie Zeisselmaur; Santohypolitus, Neuburgum duplex, alterum à cœnobio, à frumento alterum dictum; Petronella nunc vicus, magnæ olim Urbis, id quod rudera & ruinæ indicant, vestigium; Noua Ciuitas, Pruck ad ripam Leythe fluminis situm, Hamburga: Omnium tamen maximè insignis Vienna, olim Flauiana, siue Iuliobona dicta, studio litterarum admodum nobilitata, & quo nullum aliud præstantium Mathematicorum ferax fuit. Eam vineta coronant. Ædes ciuium magnificæ, vt vel Principes hospites accipere possent, & quæ fenestris patentibus ventos accipiunt, & transmittunt; nec vnquam aère pigro & manente, eò quòd singulæ singulas areas habent, ingrauescunt. Frequens alienarum nationum ad hanc conuentus. Rerum, quæ tuendæ hominis vitæ necessariae sunt, magna copia. Flumina Austriæ sunt Danubius, olim Regionis terminus, nunc medius eam secans; Onasus, Traunus, Erlaphus, qui ad Cellam templo Virginis matris insignem ex lacu amœnissimo oritur; Traisius, Ypsius, Melicus, Marchia, Teius, qui Morauiam ab Austria disiungit. Campus vario genere piscium nobilis, Leytha, & in quo scitissimi saporis Cancri Suegadis.

Hactenus Rithaymerus. De origine vocabuli huius Regionis hæc refert Lazius in suis rerum Viennensium Cõmentariis. Austriæ nomen recenti seculo natum est, ante annos circiter quadringentos, ab Austri (vt credo) venti flatu, qui ista in Regione frequens est: vel ob similitudinem Germanicæ appellationis *Osterrich* (quod verisimilius mihi videtur) quod nomen Orientali Regnorum suorum limiti Francorum Reges indiderant, ceu & Occidentali *Westerrich*. Habuit hæc Regio olim Marchiones, postea Duces, deinde Archiduces, quibus hodie paret: vti videre est in dictis Lazij Cõmentariis. Huius Regionis insignia olim erant quinque Alaudæ aureæ, in cælestino clipeo pictæ; Sed Lupoldus Marchio hoc nomine Quintus, à rei euentu ab Imperio concessa noua vsurpauit insignia, rubro & albo coloribus, distincta: quòd ita totus suffusus sanguine in expugnatione Ptolemaidis fuisset, cingulo tenus duntaxat (quod album corpus interfecabat) à cruore immunis. Cetera vide apud Munsterum, & Cuspinianum. Austriæ etiam descriptio extat apud Bonfinium in fine libri .4. Decadis .4. rerum Hungaricarum. Pius .11. in sua Europæ descriptione citat Historiam propriam huius Regionis à se descriptam, nobis tamen eam videre hactenus non contigit. Idem pulcherrimè in suis Epistolis descripsit huius Regionis Metropolim Viennam.

